

**Disputatio medica inauguralis, de urinae secretione suppressa ... /
eruditorum examini subjicit Joannes Robinson.**

Contributors

Robinson, John.
Fullartoun, John
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebant Adamus Neill et socii, 1800.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/fe26wdyz>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



3

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
URINÆ SECRETIONE SUPPRESSA.

2

DISPUTATIO

IN AURALIS

IN F. SECRETIONIS SUBREPTA

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS

DE

URINÆ SECRETIONE SUPPRESSA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, et

Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO

GRADU DOCTORATUS,

IMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LÉGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES ROBINSON,

ANGLUS:

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC. EXTR.

Ad diem 24. Junii, horâ locoque solitis.

——— Si renes morbo tentantur acuto,
Quaere fugam morbi.

HORAT.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

M DCCC.

ERRATA.

Pag.	1. lin.	9.	<i>pro eligi</i>	<i>lege elegi</i>
	11.	16.	<i>lesiones</i>	<i>laesiones</i>
	25.	7.	<i>five</i>	<i>fine</i>

VIRO ORNATISSIMO,

MEDICOQUE SOLERTISSIMO,

DANIELI RUTHERFORD, M. D.

S. R. S. E.

BOTANICES

IN

ACADEMIA EDINENSI

PROFESSORI;

HOC TENTAMEN,

SUMMÆ OBSERVANTIÆ

GRATIQUE ANIMI

TESTIMONIUM,

OFFERT

AUCTOR :

WINDY HILLS

WINDY HILLS

DANIEL RUTHERFORD M. D.

WINDY HILLS

WINDY HILLS

WINDY HILLS

WINDY HILLS

WINDY HILLS

WINDY HILLS

WINDY HILLS

WINDY HILLS

WINDY HILLS

WINDY HILLS

WINDY HILLS

ITEM,
VIRO EXIMIO,
PRIMOQUE EJUS MEDICINÆ PRÆCEPTORI,
EDVARDO HARRISON, M. D.
SOCIET. REG. ANTIQ. EDIN. SOC.
NECNON,
SOCIET. REG. MED. ET PHYS. EDIN.
OLIM PRÆS. ANN.
HORNCASTRENSIS,
IN
COMITATU LINCOLNIENSI,
ARTEM HIPPOCRATICAM FELICITER
EXERCENTI;
QUI
CONSILIIS SUIS,
AD MEDICINAM RECTE DISCENDAM,
EI
QUAMPLURIMUM OPITULABATUR:
HAS STUDIORUM PRIMITIAS,
PEREXIGUUM
AMICITIÆ MONUMENTUM,
ANIMO QUAM GRATISSIMO,
D. D. C.QUE
AUCTOR.

*Principiis obsta; sero medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras.*

OVID.


*Iu Merton Exr^s
Best wishes for his future
success and happiness
from the Author.*

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

URINÆ SECRETIONE SUPPRESSA.



INTER morbos quibus obnoxia est fabrica humana, nulli magis medicorum attentionem sibi vindicant, citiùsque auxilium requirunt, quàm organorum urinariorum affectiones ; hae verò precipuè quae cum absolutâ urinae suppressione stipantur, de quibus in hâc dissertatione differere mihi mens est. Hoc argumentum, a paucis scriptoribus tractatum, eligi, non tam aliquid novi dicendi

cupiditate ductus, quàm ut paucas sparsasque hac de re disquisitiones in unum colligerem. Ne tamen hujus opusculi limites nimis protrahantur, eas tantum causas quae immediatè in renes ipsos agendo, urinae secretionis suppressionem inducunt, iisque accommodatam medelam, referre, mihi propono.

Caecâ partim medicorum nomina a praedecessoribus usurpata retinendi consuetudine, partim verò magis accuratam expressionem inveniendi difficultate, effectum est, ut plures morbi satis quidem inter se distincti sub eodem nomine enumerati fuerint. Hinc plerique auctores non satis sejunxerunt morbum de quo tractamus ab urinae retentione, utrosque sub nomine Ischuriae describentes; quod verbum, juxta vim Graecae etymologiae, nihil aliud denotat quàm urinae retentionem, non verò urinae in renibus secretionis suppressionis

fae

fae vitium, ac proinde minimè idoneum mihi videtur. Nonnulli hos quidem morbos discriminantes, eos in ischuriam veram et spuriam diviserunt, hâc urinam in renibus et ureteribus, illâ verò in vesica, quâdam obstructione retineri significantes* : At haec distinctio urinae suppressionem ex defectu secretionis oriundam minimè perstringit ; urina enim obstructione quâdam in ureteribus retineri potest, et rupturam ibi producere, salvis renum secretoriis organis †.

Distinctio ab illust. DESAULT proposita, mihi magis arridet :

“ La suppression, cette maladie dans la-
“ quelle les urines ne sont pas secrétées dans
“ les

* BURSERIUS, vol. iv.

† HALLERI Disputationes Chirurgicae, vol. iv. p. 444.
CULLEN'S Practice, vol. iv. p. 284.

“ les reins ; et la retention, celle où les
“ urines font arrêtées dans quelqu’un des
“ conduits destinés à les transmettre au-
“ dehors *.”

Quanti fit momenti has duas affectiones
apprimè inter se distinguere, patet ex curae
methodo in his instituendo, quae adeò di-
versa est, ut remedia ad promovendam uri-
nae secretionem requisita, minimè idonea sint,
quinimò aliquando noxia, cùm urinae tan-
tùm retentio removenda est.

MORBI SYMPTOMATA PATHOGNO- MONICA.

Hunc morbum sequentia symptomata fre-
quentissimè comitantur.

Levem

* Journal de Chirurgie, tome i. p. 55.

Levem primò urinæ retentionem experitur aegrotans, quae sensim paulò pòst ad absolutam suppressionem progreditur; nullum adest mingendi desiderium; tumor nullus in hypogastrio, aut dolor circa pubem, aut ponderis sensus in perinaeo; introducto cathetere, nulla effluit urina. Intereà plùs vel minùs conqueritur aeger, de molesta quâdam sensatione aut dolore circa renes, nunc acuto et pungente, nunc obtuso, quem comitantur, pyrexia, anorexia, urinosus in ore gustus, cardialgia, circa praecordia anxietas, nausea, singultus, vomitus materiae urinae similis.

Haec symptomata, nisi demum restituantur urinæ secretio, magis ac magis ingravescent; pyrexia vehementior fit, marcescit corpus, tumescit, aegrè spirat aeger, odorem urinosum plùs vel minùs foetidum, e corpore exhalat; pulsus, antea plenus et durus, nunc frequens, parvus, debilis, celer, et tremulus reperitur.

peritur. Superveniunt, postremò, gelidi sudores, coma, convulsiones vel delirium, quae de vita aegri actum esse ostendunt.

Haec symptomata non constanter ita occurrunt. Æger aliquando (si praesertim infans) subitò moritur, nulla saeviora symptomata expertus*. Cl. WILLAN tria hujusmodi exempla refert. In his aegros mesenteritide affectos esse opinatur; at notum est mesenterii inflammationis symptomata valdè lubrica, obscura esse, nec facilè detegenda†.

CA-

* Medical Facts and Observations, vol. iii.

† Signa inflammationis mesenterii diagnostica sunt, febris languida, occulta, et lenta, absque siti et gravioribus symptomatis; anorexia, tensionis et gravitatis sensus subter ventriculum; citra magnam duritiam, et quae non nisi pressu dignoscitur; citra dolorem etiam, saltem effatu dignum, quia pars obtuso sensu donata est; ejectiones chylosae, quas plerumque ichor tenuis consequitur sine ullo doloris sensu, modò seorsim et sincerus, modò faecibus permixtus. Vid. RIVERII Praxeos Med. lib. xiii. cap. 2.

CADAVERUM INSPECTIO.

INCISIONE post mortem factâ, renes reperti sunt aliquando inflammati, purulenti, mole aucti, arenâ vel calculis distenti, vasa secretoria et renum substantia referta concretionibus, modò tantùm pisi, modò ovi gallinacei, magnitudinem referentibus ; hi calculi nunc laeves sùnt, nunc valdè asperi et irregulares, cum ramificationibus formam tubulorum uriniferorum exprimentibus.

Dissectionem anatomicam memorat LIEUTAUD *, in qua calculus uncias septem pondere aequans repertus est, qui nullum tamen aegro dolorem attulerat, nullamque induxerat urinae suppressionem ; urina videlicet
fibi

* Vid. LIEUTAUD Historia Anatomica.

fibi aliquando in concretione alveolum aperit, per quam haec elabitur. Pelves nonnunquam materiâ terrenâ incrustatae reperiuntur, et renum superficies inequalis, corpusculorumque durorum congeriem quamdam specie exhibens. Eadem quoque superficies aliquando hydatibus vel tumoribus obtegatur, in totâ verò substantiâ plurima tubercula scatent *. Renes ipsi gangraenâ correpti aliquando reperti sunt; aliquando verò mole imminuti et indurati, specie cartilaginei. In his exemplis, alia viscera abdominalia statum valdè morbidum prae se ferebant.

DIAGNOSIS.

ÆGRÈ admodum hic morbus ab ischuria *ureterica* fecernitur; vix enim haec aliquod temporis spatium persistit, cùm prioris symptomata

* Vid. HOME's Clinical Experiments and Histories.

symptomata hanc comitantur: cùm tamen morbus in ureteribus tantùm existit, distentionis et doloris sensus in hac parte, praecipuè percipitur.

Urinae secretio suppressa ab ischuriâ *vesicali* dignoscitur, deficientibus hypogastrii tumore, dolore circa pubem, ponderis sensu in perinaeo, frequenti ad mingendum stimulo, nullâque fluente urinâ introducto cathetere.

In ischuriâ *urethrali* eadem diagnostica symptomata occurrunt ac in ischuriâ *vesicali*, nisi addatur sensus doloris in aliquâ urethrae parte.

PROGNOSIS.

IN hoc morbo prognosis generatim infausta est; periculum tamen multum pendet a causis excitantibus, et a mali diuturnitate; si suppressio sex vel septem dies jam persistit, vulgò lethalis est, quanquam nonnulla memorantur exempla morbi diutius persistentis cum felici eventu.

Febris vehemens, gangraena, hydrocephalus internus, omnis generis hydrops, phthisis, &c. nonnunquam ab urinae suppressâ secretionem oriuntur, hujusque morbi tristissimae sunt sequelae: cum tamen aquosa et salina sanguinis pars per alia fecer-nicula sibi viam invenit, putà, per cutem, aures, nasum, mammas, anum, morbi praedicti aut penitus praecaventur, aut saltem
per

per aliquod temporis spatium postponuntur, ita ut aegrotans per anni uniûs curriculum et amplius vitam protrahat*.

Urinae suppressio saepè aliorum morborum symptoma reperitur, veluti febrium, vermium, peritonaei et mesenterii inflammationum, hysteriae, hypochondriasis, et, ut refert cl. Professor RUTHERFORD, cerebri morborum. In his affectionibus, remoto morbo generali, vulgò removetur urinae secretionis defectus; de his igitur, ut suprà innui, hîc filere fert animus, et eas nunc exponere causas quae in ipsos renes immediatè agunt. Inter has numerari possunt, obstructio sanguinis per renum vasa, et aliae diversae ipsorum renum lesiones, veluti inflammatio, suppuratio, gangræna, schirrus, &c. &c. quae
quoniam

* Vid. SAUVAGES, p. 11.

quoniam variam medelam requirunt, seorsim tractandae mihi videntur.

SANGUINIS OBSTRUCTIO PER RENUM VASA.

PATET, ex nonnullis experimentis ab illust. DESAULT institutis, canes quorum emulgentes venae et arteriae ligamentis circumdatae fuerant, brevi urinae secretionē suppressā et materiae urinae similis vomitu affectos fuisse * ; indè concludere par est, aortae aneurisma, vel quodlibet aliud in libero per renes sanguinis motu obstaculum, eosdem in homine inducere affectus ; feliciter tamen exempla hujusmodi rara sunt, vel saltem horum praesentia aegrè admodum detegi potest, quanquàm etsi haec detegeretur nullum inde levamen misero aegro afferre posset ars medendi.

Saepissimè

* Journal de Chirurgie, tome i.

Saepissimè occurrit urinae suppressio in plethoricis, et sanguineo temperamento conspicuis hominibus, cùm solito copiosior sanguinis fluxus per renes excitatur, v. g. nimio calore circa renes applicato, laesione aliquâ ibi receptâ, crebro spirituum abusu, violentâ exercitatione, &c.

Haec suppressionis species ferè semper de repente aggreditur; eam tamen nonnunquam antecedit limpidae urinae auctum profluvium, gradatim postea decrescens; nullum aeger patitur dolorem, sed tantum ponderis et debilitatis sensum in regione renum percipit; nulla adest pyrexia. Haec suppressionis species minimè periculosa, venaesectio, catharticis, et diluentibus, facilè removetur.

Duo hujusmodi exempla a RIVERO referuntur. In primo, vix unâ post venaesectionem elapsâ horâ, sensum urinae per ureteres
in

in vesicam defluentis percipiebat aeger, deinde, post paucas horas, magnam urinae copiam emisit. In altero, cathartica et venaesectio adhibita fuerunt cum simili eventu, eodemque felici successu; multa diuretica prius incassum administrata fuerunt*. Cum haec in renum vasis sanguinis plethora non citò removetur, periculum est ne subsequatur inflammatio.

Saepe coagulato sanguine producit obstructio in tubulis renum secretoriis, quae easdem causas agnoscit ac eae quae sanguinis motum in vasis emulgentibus nimis adaugent.

Urinae cruentae fluxus, hanc suppressionem antecedens, diagnosticum symptomata est. Si hic fluxus copiosus fuerit, pluresque persiste-
rit

* Vid. RIVER. Cent. i. Observ. 1. et 89.

rit dies, insigniter pallefcit aegrotans; pulfus ejus parvus fit, contractus et intermittens; omnia uno verbo fymptomata adfunt, quæ magnam hæmorrhagiam comitantur. Dolor in regione renum fatis lenis eft; fed fi fuppreffio oriatur ab ictu vel contufione in lumbis, tunc faeviffimus, fed minùs in renibus quàm in mufculis circumjacentibus.

Cura.—Si fanguinis profluvium non magnum fuerit, nec multùm debilitetur aeger, venaefectio et regimen antiphlogifticum præfcribenda funt. Veficantia imponi poffunt, nec fine aliqua fuccesûs probabilitate*. Coagulatum fanguinem diluere tentandum eft, leniter aperientibus et diluentibus medicamentis, v. g. mucilaginosi potibus, cum paucis nitri granis. Balneum tepidum, et emollientia fomenta in regione renum, insigniter

* Vid. Med. Observ. and Inquir. vol. v. Append.

niter quoque profunt. Quies sedulò observanda est, ne motu et exercitio renovetur sanguinis fluxus.

CALCULI.

INTER frequentissimas urinae secretionis suppressae causas, enumerari debent calculi in renibus.

Sequentia symptomata hanc suppressionis speciem indicant: dolor in regione renum, modò obtusus, cum sensu ponderis in parte affectâ, modò acutus et pungens, motu auctus; nausea et vomitus post sumptum cibum; pulsus plenus et durus; alvus adstricta; femorum stupor, et testium retractio. Priusquam suppressio absoluta fiat, aeger identidem nephriticis doloribus cruciatur, urina ex limpidâ subfusca fit, parvas concretiones, arenarum

arenarum granis fimiles continens, aliàs cruenta, aliàs mucosam materiam deponens.

Duo nihilominus exempla à RUYSCH * memorantur, in quibus varia symptomata aderant, calculosam nephralgiam indicantia; incisione verò post mortem factâ, nulli calculi reperti sunt in renibus, sed horum superficies valdè irregularis erat, et corpusculis duriusculis scabra.

Cura.—Suppressio ab hâc causâ orta, aegrè admodum curari potest. Venaesectio non celebranda est, nisi sit periculum inflammationis; ad primas vias medici attentio praecipuè verti debet. Omnia alimenta quae ibi aciditatem generare possunt, evitanda sunt; acida enim quamdam ansam habere in promovendâ materiae lithifiacae depositione, unde formantur calculi, nonnulli putant chemici.

* Adversaria anatomica, p. 22.

mici. Levis et nutriens diaeta praescribenda est; lithontriptica simul remedia administrari debent, veluti aqua mephitica alkalina, foda, aqua kali, calx, sapo, uva ursi, &c. Hoc ultimum remedium quanquam optimum, cautè tamen administrari debet et in parvis dosibus, additâ aliquâ opii quantitate*. Diluentia praetereà diaphoretica multùm prodesse possunt; inter diaphoretica, antimonium tartarizatum ita administratum ut nulla excitetur nausea, maximâ virtute pollet†.

RENUM INFLAMMATIO.

NEPHRITIS saepissimè urinae suppressionem inducit; rarò enim inflammatio ad unum renem extenditur, quin citò ambos pervadat.

Praeter

* FERRIAR'S Med. Histories, vol. i. p. 110.

† WILSON'S Inquiries into the Remote Causes of Urinary Gravel, p. 62.

Praeter communes inflammationis causas, multae aliae res eundem effectum in renibus producere possunt; veluti, acria diuretica, cantharides, internè vel externè administratae, parvuli calculi in renibus, urina diutius retenta in vesicâ, in ureteribus, vel in ipsis renibus, quicquid demùm sanguinis motum in renibus accelerari potest, et ibi irritationem producere.

In renum inflammatione urina nonnunquam subito supprimitur; saepiùs tamen gradatim tantùm, ita ut non ante tertium aut quartum diem, absoluta fiat suppressio. Cùm res ita evenit, urina primò aquosa et limpida observatur, deindè rubicunda; frequentissimum ad mingendum stimulum experitur aegrotans, doloremque acutum et pulsatilem patitur in regione renum: hic dolor vehementior est vesperè quàm manè, in inspiratione quam sub expiratione; praecipuè ingravescens, cùm urinam aut faeces

evacuare

evacuare conatur aeger, non tamen pressu manuum in parte affecta aut flexo corporis trunco, auctus, ut fit in lumbagine. Sequitur dolor ut in nephralgiâ calculosâ ureterum cursum, et ad vesicam et testes extenditur; horum retractionem, inguinis verò et femoris stuporem subindè inducens. Pyrexia adest vehemens; pulsus durus, frequens, et validus; abdomen pressu dolentissimum, modò molle, modò tensum tactu, et veluti aëre inflatum; alvus generatim adstricta; nausæ, vomitu, singultu, et tussi frequente, afficitur aeger; urinosum odorem ore exhalens.

Cura.—In tractanda urinae suppressione a renum inflammatione productâ, scopus medici eo tendere debet ut morbi cura resolutione obtineatur. In hanc finem remedia quae dicuntur antiphlogistica sedulò praescribenda sunt, et inter haec praestantissima quaque, veluti, venaesectio, pro viribus aegri, progressu et violentia symptomatum, repetenda, cucurbitulae

curbitulae cruentae, hirudines circa regionem renum applicatae. Veficantia e cantharidibus anceps remedium est, quanquam haec, ut patet ex nonnullis exemplis in *Medicis Observ. et Inq.* (append. vol. v.), relatis, aliquando cum multo successu adhibita sint. Fomenta circa abdomen et regionem renum, cum emollientibus enematibus, mitibus cathartacis insigniter profunt. Infusa feminum lini, malvae, cum paucis nitri granis in his dissolutis, et alii hujusmodi mites, laxantes, et demulcentes potus, crebrò administrari debent.

Si his remediis resolutio obtineatur, haec plerumque ante finem primae hebdomadae eveniet. Morbus gradatim recedit, et imminuitur ardor et dolor circa renes; pulsus fit minus frequens, mollis, et regularis; urina, priùs suppressa, liberè fluit; ex limpidâ vel rubrâ, fit sensim alba, turbida, copiosum puriforme sedimentum deponens.

Sed

Sed si hoc tempore elapso, neque pyrexia, neque dolor, aut alia inflammationis symptomata, nondum remiserint, suppuratio vel gangraena pertimescenda sunt, quae inter causas urinae secretionis suppressae prius enumeratae sunt.

RENUM SUPPURATIO.

SUPPURATIONEM imminere, sequentia denotant signa : Rigoribus corripitur aeger ; pyrexia vespere ingravescit ; sensus est caloris in regione renum ; dolor, prius acutus, nunc pulsatilis fit, cum sensu ponderis et tensionis in parte affecta, dum stupor inguinis et femoris adaugetur, vel in dolorem pungentem mutatur.

Purulenta materia multiplicem viam sibi aperire potest, aut per canalem urinalem, aut per colon, et tum evacuatur sive cum urinâ, sive cum faecibus ; aut exteriùs tumor in regione

gione lumbari proëminet, et tunc pus sponte vel arte per hanc viam foras prodit, nisi in circumjacente cellulosa membrana effundatur, hâcque destructâ ibi formetur abscessus, vel in anteriori cruris parte, cùm materia arcum cruralem praeterlabitur.

Suppuratione factâ et obrupto abscessu, subito aeger levatur; reditque consuetus fluxus urinae, quae deponit magnam purulentae materiae copiam.

Cura.—Cum suppuratio progreditur, omisso regimine antiphlogistico, vires aegri tantum sustinendi sunt, et cura abscessus naturae committenda; cum tumor exteriùs proëminet, cataplasmata et fomenta parti affectae admoveantur, deinde abscessus cautè nisi sponte obrumpat arte aperiatur.

Abscessus internus, quantum fieri potest, detergendus est et urinae acrimonia obtundenda

denda demulcentibus liquoribus, veluti lini infuso, aquâ hordeaceâ, lacte, &c. Balsamata quoque laudata sunt, veluti Balsamum Copai-bae, Peruvianum, &c. ; aut terebinthina in parvis dosibus.

RENUM GANGRÆNA.

HANC adesse judicatur, si remisso subito omni dolore, et aegro sese meliùs habere judicante, urinae suppressio nihilominùs perstiterit, et frigidae urinosaque perspirationes supervenerint, cum pulsu debili, contracto et intermittente, cum vultu pallido, &c., et aliis signis imminentis dissolutionis.

Cùm morbus ad hunc pessimum terminum progressus fuerit, remedia incassùm administrantur, et aeger citò fato occumbit.

RENUM SCHIRRUS.

CUM renes multum mole adaugentur, five hydatidibus, steatomatosis tumoribus, aut mole imminuuntur duri et schirrofi facti, urina vulgò in his rerum adjunctis gradatim tantum supprimitur; cum ren unus solummodò afficitur, ferè nulla adest urinae secretionis imminutio, existitque schirrus five ullo peculiari symptomate previo. Generatim nulla adest pyrexia, nullus sensus caloris in renibus, aut dolor; aliquando tamen de molestia et pondere in hac parte, conqueritur aeger. Cum renum moles notabilis est, et primum par nervorum lumbarium comprimitur, rigiditas in inguine et anteriori cruris parte, ita nonnunquam augetur, ut ambulare nullatenus queat aeger.

ILLUST. BAILEY* memorat urinam aliquando magnâ ex parte secerni posse, quamvis re-

D

num

* Vid. Morbid Anatomy.

num structura valdè mole augeatur, in capsulas magnum cellularum inter se communicantium numerum continentes mutata, aut quamvis renes in hydatidarum massam convertantur.

Cura.—Haec affectio renum rarò curatur. Sed cùm morbus recens est, aperientia, et deobstruentia, et diuretica, prodesse possunt, si aeger juvenis sit; sed in senibus vix ulla meliora speranda est.

SPASMUS.

QUIDQUID inducit spasmum in renibus, urinae suppressionem inducere quoque potest: hinc urinae acrimonia, parvuli calculi renes vel ureteres * irritantes, nonnulla animi pathemata, ut ira, metus, &c., hystericae affectiones, tetanus, &c., quae spasmum renum excitare possunt, urinae suppressionem aliquando inducunt. Suppressio ex hac causa
oriens,

* VAN SWIETEN. Comment. vol. x.

oriens, ferè subito evenit ; pulsus reperitur frequens, durus, et contractus ; de saevissima vulgò dolore in regione renum conqueritur aegrotans.

Cura.—Remedia quae spasmus auferre consueſcunt, urinae ſuppreſſionem removebunt : hinc opiata, balneum tepidum, venaeſectio, diuretica laxantia, enemata emollientia, fomentationes, cataplaſmata in regionem renum, epiſpastica, &c., in hoc morbo maximè requiruntur.

In ſpafmo ex acrimonia urinae oriundo, cauterium, ſetones, moxa, in regione lumborum applicanda, a nonnullis medicis laudata ſunt.

PARALYSIS.

Hic morbus, et urinae ſuppreſſio inde exſurgens, vulgò inducitur ſenectute, intemperantiâ, ſpirituum et diureticorum abuſu, immodicâ

modicâ venere, urinâ in organis urinariis diutius retentâ, relaxationem et dilatationem tuborum uriniferorum producente. Morbum gradatim irrepentem, denotat urina limpida, aquosa, et inodora. Pyrexia deest, nec ullus sentitur ardor vel dolor in regione renum ; sed pulsus parvus est et lentus, et multum debilitatur aegrotans.

Cura.—Remedia quae potissimum valent ad constitutionem roborandam, viresque aegri restituendas, generatim praescribenda sunt : hinc paralyfis renum et suppressio inde oriens, stimulantibus et tonicis debellari debent ; inter haec cantharides tum internè et externè, cortex Peruvianus, ferri praeparationes, balneum frigidum, praecipue eminent. Aquae minerales, et diuretica stimulantia, ad promovendam urinae suppressionem, fortè non incassum administrantur.

F I N I S.


6.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HÆMORRHOEA PETECHIALI.



DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
HÆMORRHOEA PETECHIALI;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

PRO

GRADU DOCTORIS,

SSUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

THOMAS BATEMAN,

ANGLUS:

SOCIET. REG. MED. EDIN. PRÆSES ANNUUS;

NECNON, SOCIET. NATUR. STUD. EDIN.


NUPER PRÆSES ANNUUS.

Ad diem 24. Junii, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCIJ.

MDCCCL.



VIRO REVERENDO,
THOMÆ WATSON
DE WHITBY ;
QUI
PUERUM ETIAM, PATRE ORBATUM,
CONSILIIS AC AMICITIA
JUVAVIT ET DEVINXIT :
NECNON,
VIRO REVERENDO,
MICHAELI MACKERETH
DE THORNTON ;
CUJUS QUOQUE
AMICITIA ET STUDIUM ERGA SE
ALTA MANENT MENTE REPÔSTA :
UTRISQUE
LITERIS HUMANIORIBUS,
MAXIME AUTEM ANIMI PROBITATE,
SPECTANDIS ;
HANC DISPUTATIONEM,
PEREXIGUUM OBSERVANTIÆ SIGNUM,
OFFERT
T. BATEMAN.

*Quod si jam incidat mali genus aliquod ignotum, non
ideò tamen fore medico de rebus cogitandum obscuris: sed
eum protinus visurum, cui morbo id proximum sit; ten-
taturumque remedia similia illis, quæ vicino malo sæpe
succurrerint; et per ejus similitudinem opem reperturum.*

CELSUS.

*Doctor Fullarton
with the best wishes
of Tho. Bateman*

nostro ævo heu ! nimis cognita, feliciter ignorabant. Quippe, seculis labentibus, nova febrium cohors terris incubuit ; atque, intra ævum etiam superius, mala quædam seu primùm inter mortales grassata fuerunt, seu medicorum oculos in se primùm traxerunt, et frequentius saltem, quàm olim solebant, mortale genus afflixerunt.

Inter hæc recensendus est morbus, de quo in animo est pauca scribere. De eo enim veteres scriptores nihil omninò, quòd sciam, literis mandaverunt ; et medici etiam hodierni haud ita pridem eum observârunt, vel notârunt signa, quibus ab aliis morbis idem dignosci possit. Rem itaque ferè novam timidè aggressurus, indulgentiam et veniam precor,

— “ et mihi dulces

“ Ignoscent, si quid peccavero stultus, amici.” HOR.

Haud fatìs constat ex quo tempore maculæ notæ fuerunt, quæ, medicorum linguâ, *Pettechia*

techiæ vocantur. Plerique* opinantur eas veteribus inobservatas latuisse. Atque, si ulla fides FRACASTORIO†, medici eas primùm in *Italia* observârunt anno 1515, quando febris epidemicè grassabatur. Clar. BURSERIUS autem nos certiores fecit, medicum quendam Gallicum, qui anno 1463 ad plures ivit, maculas hujusmodi antea descripsisse.

Verùm ex quocunque tempore medicis notæ fuerint *petechiæ*, diu pro signis, febribus pestilentibus propriis, habebantur, atque iisdem *scorbutoque* tantùm propria adhuc à plerisque habentur.

RIVERIUS‡ primùm, quantum scio, ineunte seculo superiore, mentionem fecit *petechiarum*,
 quas,

* Vide BURSER. Instit. Med. Pract. vol. ii. § cccviii. Credit verò doctiss. LIND, HIPPOCRATEM macularum hujusmodi mentionem fecisse; et ÆTIUM dicit eas minutè et accuratè descripsisse. Vide Essay on Fevers and Infections, p. 87.

† De Morb. Contagios. Lib. ii. cap. 6.

‡ Vide RIVER. Praxin Med. Lib. xvii. cap. 1.

quas, dum ægri neutiquam febricitabant, cutem tamen maculare observavit. Plurimi quidem auctores morborum exempla posthinc protulerunt, quos *petechiæ*, nullâ comitante febre, stipârunt. Talia autem exempla raptim et obiter tantum narraverunt; quippè qui ea, ut videtur, pro febrium varietatibus solum, ab ignotâ quadam causâ oriundis, habebant. DIEMERBROECK * enim, inter plurimas ægrorum peste correptorum historias, unius memoravit, cujus cutem *petechiæ* variârunt, quem verò nulla febris adorta est. Atque STRACK †, qui de febre *petechiali* scripsit, his verbis usus est: “ Etiam petechias, quo tempore populares eadem erant, sine febre et absque ulla corporis infirmitate, vidi;” et decem hujusmodi exempla narravit. Cel. BURSERIUS ‡, et FRANCK ||, etiam nos certiores fecerunt,

* Opera omnia, 1685, Lib. iv. de Peste. Ægr. 41.

† De Morbo cum Petechiis, 1766, p. 19.

‡ Institut. Med. Pract. Tom. ii. § cccx. 1790.

|| De Curand. Homin. Morb. vol. iii. 1792.

cerunt, se *petechias* sine febre vidisse; sed illi tamen *petechias*, pro morborum febrilium signis, utrique habebant. Prof. FRANCK etiam *chronicam* morbi formam planè notavit. “Hæc verò exanthematici species,” inquit, “ut plurimum licet febrilis, multis tamen et nobis ipsis sine febre comparuisse visa est, ac non acutorum modò naturam morborum imitari, sed et chronicam hinc inde assumere indolem observatur.”

Haud omittendum puto, clarif. SAUVAGES *, in Nosologiâ suâ Methodicâ, morbum *hæmorrhææ* non abfimilem, sub titulo “Stomacaces Universalis,” designavisse.

Signa autem morbi, de quo scribimus, utpote feбри et omni alii morbo dissimilis, primum literis tradidit Dr GRAAF †, sub nomine “*Petechiarum* sine febre.” Dehinc medici ‡ quidam nonnullas hujus morbi historias,

* Nosolog. Method. Class. ix. p. 296. vol. ii.

† Diss. Inaug. Gotting. 1775. Doleo quòd nunquam mihi occasio fuit hanc dissertationem videndi.

‡ Vide BANG Select. Diar. Nosocom. tom. i. 1789. REIL Memorab. Clinic. vol. i. Halæ, 1790, &c. &c.

storias, alii sub aliis nominibus, in Germaniâ in lucem ediderunt. Et, anno 1797, Dr ZETTERSTROEM dissertationem de eodem *Upsaliæ* edidit, in quâ illorum medicorum historias in unum collegit.

Medicis verò Britannicis, indicia hujus morbi primùm monstravit, cel. Professor noster, Dr DUNCAN* ; qui, anno 1778, exemplum unicum, quod tunc temporis viderat, in medium protulit, naturamque ejus conjecturis quibusdam ingeniosis profecutus est ; et deinceps in Commentariis suis utilissimis, plurimas morbi nostri historias, observationesque de eodem, memoriæ mandavit : nam ipse quidem viginti et amplius ægros, eo laborantes, cùm ædibus privatis, tum Publico Valetudinario, curavit.

Anno 1789, Dr ADAIR dissertationem optimam de hoc morbi genere *Edinburgi* edidit, triumque ægrorum, quos ipse viderat, historias, narravit.

In

* Med. Cases & Observ. p. 90. Med. Comment. vol. xiv.—xx. Annals of Med. vol. ii.

DE HÆMORRHOEA PETECHIALI. 7

In libro, cui titulus “Medical Facts and Observations,” A. D. 1791, ejusdem morbi exemplum literis prodidit Dr FERRIS.

Et denique in opere quod inscribitur, “Memoirs of the Medical Society,” exemplum unum à Doctore AIKIN *, alterumque à Doctore GARNET †, narratum est.

Hæc ferè tota, quod sciam, exempla sunt, quæ medici adhuc in lucem protulerunt ; nuperrimè autem, his auspicantibus auctoribus, majorem attentionem morbus sibi vindicavit, et multis aliis, artem Hippocraticam agentibus, obvius occurrit. Ipse, exempla duo vidi in Nosocomio Regio *Edinenfi*.

§ II. DE MORBI DEFINITIONE.

VARIi auctores, qui de morbo, quem persequimur, scripserunt, varia eidem nomina imposuerunt.

* Memoirs, vol. iii. Art. xx.

† Ibid. vol. iv. Art. xvii.

imposuerunt. RIVERIUS, DIEMERBROECK, et STRACK, nullo peculiari nomine eum vocârunt, quippe qui obiter tantùm et leviter eundem attigerunt. Doctiss. SAUVAGES, non sine solœcismi culpâ, eum “Stomacacen universalem” nominavit. Dr GRAAF, et, illo duce, Dr FERRIS, “*Petechias* fine febre” appellârunt. Nomen autem signa potiùs morbo cuique propria, quàm aliena, indicare debet; ideóque fatìs erit, nullam febrem esse in definitione notare, etiamsi una sit ex notis, quibus hunc inter et alios morbos maximè dijudicandum. Clar. DUNCAN sub nomine “Petechianosi,” vel “Aimorrhœæ,” designare maluit; et denique Dr ADAIR, conjuncto utroque nomine, *Hæmorrhœam Petechialem* nominavit. Hoc nomen nobis quoque magis arridet, utpote quod notas duas, quibus morbus præcipuè insigniatur, exprimit.

Verbis hujusmodi morbus noster haud ineptè forsan breviter definiendus est :

“In variis partibus summæ cutis, *petechiæ*, *ecchymomata*, vel interdum vesiculæ cruore repletæ;

repletæ ; profluvia sanguinis è pluribus locis, vel levissimâ, vel nullâ evidente causâ ; *pyrexia* nulla.”

Hæmorrhœa in nullo systemate *nosologico* adhuc locum tenet. Cel. CULLEN quidem *petechias* alius cujusdam morbi semper signa esse putavit ; hoc autem, ni fallor, experientia refellit. Similitudo *hæmorrhœæ* signorum, cum iis quibus *scorbutus* cognoscitur, nullam fanè dubitationem apud nos relinquit, quin illa “ Impetiginibus,” in classe “ Cachexiarum” CULLEN, rectiùs annumeranda sit : “ Totius certè vel magnæ partis corporis habitus depravatus est, sine *pyrexia* primaria vel *neurosi* *.” Ab Hæmorrhagiis CULLEN eo nomine differt, quòd absunt omninò febris indicia †.

B

§ III.

* CULLEN, Synops. Nosolog. Method. Cl. III.

† Idem, First Lines, DCCXXXVI.

§ III. DE MORBI SIGNIS.

MORBUS, de quo scribimus, haud secùs ac alia genera valetudinis, sese variè ostendit, prout varii sunt ægrorum corporis habitus. Aliquando subitò incipit, prægresso nullo adversæ valetudinis signo; sæpius autem paulatim obrepit, nec sine notis præcurrentibus, quæ corpus de sano statu deflecturum esse ominantur. Modò enim ante accessionem, caput dolet, nausea vomitusve urget; modò alia adfunt signa, quæ primas vias malè se habere indicant; sæpe fatigationis sensus est, et musculorum vires plùs minùs minuuntur. Paucis febriculam adesse observatum est; plerisque verò ne unum quidem signum febris contingit.

In initio aliàs alia signa sunt. Plerisque sanè *petechiæ* priùs cutem variant, quàm alia indicia morbi obveniunt. Quibusdam verò summa cutis, tanquam ex verbèris ictibus, hìc illic vibicibus livescit, vel purpurascit, neque

neque simul maculis parvulis interstincta. Exemplum hujusmodi in Valetudinario *Edinensi* novi, à D^{re} DUNCAN haud ita pridem curatum. Quibusdam autem accidit, ut neque *petechiæ* neque vibices cutis superficiem decolorant; sed sanguis valdè proclivis fit, ut ex variis corporis partibus, vel ex levissimâ vi externâ, vel nullâ etiam causâ evidente, prorumpat. Infuper exempla pauca literis tradita sunt, quibus sanguis, cutem inter et cuticulam effusus, hanc adeò levavit, ut vesiculas effecerit, ex quibus disruptis cruor niger effluxit*. Verùm enimverò ex signis jam memoratis, plura, vel pauciora, vel omnia simul, aliàs aliter conjuncta, hoc morbi genus sæpe insigniunt.

Quod autem ad *petechias* attinet, magnitudine admodum variant. Modò puncta perexigua sunt, visum fermè effugientia; modò pulicum vestigia referunt: atque semper ab
omni

* REIL. Memorab. Clinic. vol. i. Comment. in rebus med. &c. gestis, vol. vi.

omni alio genere *exanthematum* facilè dignoscendæ sunt. “Nec cutis superficiem* excedunt,” inquit BURSERIUS †, “nec exasperant, nec pruriunt, nec dolent, nec ulcerantur, nec in squamas abeunt, sed paulatim resolvuntur.” Colore rubicundo, vel purpureo, vel subnigro, esse solent. Vibices et *ecchymomata* plerumque subfusco, livido, vel nigro sunt: variat autem color pro summæ pelliculæ tenuitate, pro tempore ex quo sanguis effusus fuerit, pro quantitate ejus, et si qua similia. Ubi quidem sanguis non sponte intra cuticulam effunditur, cute tamen, vel levissimè percussâ vel pressâ, facilè effluit, sic ut *ecchymomata* cutem decolorent.

Petechiæ pectus maximè, et interiorem brachiorum crurumque superficiem occupant; aliquando

* Hoc certè sæpissimè accidit: Dr ADAIR autem exempli mentionem fecit, quo *petechiæ* aliquantùm prominulæ erant; et ipse, in uno exemplo, et prominulas esse, et etiam tactas dolere, notavi.

† Institut. Med. Pract. vol. ii. § cccxxiv.

aliquando etiam omnem cutem, rarissimè faciem, maculant. Visæ fuerunt, at perrarò tamen, in linguam, et gingivas, et tunicam oculorum *scleroticam*, oriri. Sæpius autem, morbo procedente, situm mutant; nonnullis hìc et illic evanescentibus, aliisque alibi vel ibidem apparentibus.

Malus idem corporis habitus, ex quo maculæ et vibices proveniunt, causa est, ut æger ad sanguinis profluvia valdè opportunus sit, quæ profectò haud parvum capitis periculum aliquando afferunt. Sanguis enim ex omnibus corporis partibus, quas exilis cuticula amicit, facilè prorumpit, quoties vulnuscum vel incisura levissima infertur. Nec rarò quidem, nullâ vi allatâ, sanguis ex naribus et gingivis profluit, vel ex pectore expuitur. Nonnunquam etiam ex ventriculo, et utero, vel *urethrâ*, prorumpit; alvus quoque cruenta quædam infrà transmittit; et urina interdum, ob sanguinem permistum, rubicunda redditur.

Sanguis quidem effusus, uti ex auctorum scriptis colligere fas est, aliquando niger est,
et

et in grumos coactus : haud rarò autem indoles ejus, quatenus saltem sensibus percipere licuit, nequaquam mutatus visus est ; verùm, sicuti ex sano corpore missus, se coagulavit. In paucis exemplis, tenuis et vix ruber observatus fuit, sed aquam potiùs, in quâ recens caro lota fuit, referebat.

Hæc profectò indicia sunt, quibus hoc morbi genus maximè cognoscitur. Alia tamen signa, quæ aliis quoque adversæ valetudinis generibus communia sunt, identidem adsunt. Pulsus quidem interdum debilis fit, et celerior quàm ex consuetudine ; sæpissimè tamen arteriæ naturaliter ordinatæ sunt. Quibusdam ægris anima subinde deficit ; ut in exemplo à WERLHOFF tradito, et in alio, quod ipse vidi. Cutis plerumque et spiritus naturales sunt ; interdum autem, haud secùs ac in febriculâ laborantibus, hic citatior est, et illa supra consuetudinem calida. Stomachus generaliter cibos haud fastidit ; et alvus urinaque, nisi sanguine inquinata, naturaliter se habere solent. Denique, corpus sæpius, ut
in

in sano statu, omnibus fungitur muneribus, si excipias quòd vires musculorum, quotquot voluntati parent, plerumque minuuntur.

Tempus, quod cursu implet *hæmorrhœa*, variis exemplis admodum variat. Aliquando vel sponte, vel paucis medicamentis adhibitis, diebus paucis finitur. Sæpius autem, uti ex medicorum scriptis colligere possumus, hebdomadas plures vel pauciores continuat; quinimò, ultra menses quosdam, vel etiam annos, interdum protrahitur; et denique aliàs aliter terminatur.

Ægra quædam, cui Dr DUNCAN in Valetudinario *Edinensi* medicinam adhibuit, per duas menses *hæmorrhœa* laborabat, sanguine interim subinde prorumpente, donec tandem fato procubuit, præ mera sanguinis inopia, ut Dⁿⁱ DUNCAN videbatur*. Cutis enim et labra, non pallida solùm, sed albida, fanè

* Prælect. et Narrat. Clinic. anno 1797. Vide Act. Nat. Curios. vol. ix.

fanè evaferunt ; et sanguis vix coloratus, sed aquam potiùs referens, profluebat.

Mortem nonnunquam affert sanguinis profluvium, quod vasa fubitò et magnoperè deplet. Dr DUNCAN, (cui ob beneficentiam erga me, maximas gratias habeo), folita cum benignitate, hiftoriam pueri, hoc morbo ægroti, mihi memoravit, cujus fumma cutis per plures annos *petechiis* nunquam non variabatur, et ex ictu etiam leviffimo vibicibus livebat. Nec alia tamen figna erant adverfæ valetudinis. Licèt enimverò cibus, ex his quæ maximè nutriunt, plenâ manu illi largiretur, et medicamenta adhibirentur, morbus tamen perftabat, et postremò profluvium sanguinis ex pulmone necem intulit. Aliud hujusmodi exemplum exquisitum nuper accepi ab amico meo æftimabili JACOBO RUMSEY, qui medicinam ad *Amerftam*, in comitatu *Buckinghamfi*, agit ; puellæ, fcil. quæ, poftquam hoc genere valetudinis quatuor menses laboraverat, cum brevi femel malorum intercapedine, ob sanguinis ex utero profluvium, morti tandem occubuit.

REIL et BEHRENS* duorum ægrorum historias in medium protulerunt, qui subito animam efflaverunt, alter resolutione, alter distentione nervorum, correptus. Et nonnulli denique, quos *hæmorrhœa* occupabat, mortui sunt, quanquam nulla adesset causa, quæ ad mortem inferendum planè sufficeret †.

Scire autem licet, plerisque ægris, quos *hæmorrhœa* invasit, perductos esse in sanitatem; quippe sanguinem, inter cutem et cuticulam effusum, vasa *lymphatica* paulatim forbuisset, ægrosque haud ampliùs ad sanguinis profluvia opportunos evasisse. Atque ex auctoribus accepimus, quòd, postquam morbus medicinæ parere diu omninò recusaverat, ægri quidam, a medicis deserti, tandem convaluerunt ‡.

Corpus unum, hoc morbo exanimatum, ferro patefactum est; et quæ oculis introspicientium

C

cientium

* De Morb. Maculos. Hæmorrhag. in Diff. C. ZETTERSTROEM.

† DUNCAN, Med. Com. vol. xx. ‡ Ibid. vol. xiv.

cientium obvenerunt, in "Actis Naturæ Curioforum" narrata sunt, eaque exscripsit Dr ADAIR : quum verò, quæ memorata sunt, nihil rei nostræ lucis effundant, ab omni parte transibam.

§ IV. DE CAUSIS REMOTIS.

QUÆNAM corporis conditio in *hæmorrhœam* maximè proclivis est, medicis, credo, haud factis compertum est. Nonnulli putant debilitatem ei præcipuè occasionem dare. Et ægri quidam, quos hoc morbi genus aggressum est, virium profectò imminutionem experti sunt, quæ paulatim obrepserat, antequam signa morbo propria sese ostenderunt. Hæc virium imminutio, uti medicis placuit, ex nimia fatigatione, vel ciborum parùm nutrientium, et tabernarum simul infalubrium usu, vel tantùm pravo corporis habitu, exorta est : forsan pro primo morbi indicio potiùs habenda. Morbi prægressi, utpote omnia febrium genera,

ra,

ra, rubeola, variola, rheumatismus, partus difficilis, aliique similes, a medicis putati sunt mortales aptos reddere, qui in *hæmorrhæam* inciderent. Rectè autem an secùs, adhuc non licet judicare; at, in præsentia, hoc neque ampliùs dicere possumus, hunc morbum illos nonnunquam subsecutum esse. RIVERIUS, ut suprà notavimus, *hæmorrhæam* eos maximè adoriri observavit, qui obstructionibus viscerum inveteratis laborabant. Denique, sexus debilior, muliebris scil., virili proclivior est *hæmorrhææ*; atque mortales, iis vitæ temporibus ubi corpus est maximè debile et invalidum, eâdem corripì sæpissimè observati sunt. Plurimi enim infantes et impuberes, ab ætate scil. duorum annorum ad annum decimum quartum, et multi ætate provectiores, eâ laboraverunt. Neque, porrò, omittendum est, plerosque, quos *hæmorrhæa* occupavit, pauperes esse, qui, præ rerum angustia, cibis, ex his quæ difficilè concoquuntur et parùm nutriunt, vesci solebant, et qui in tabernis immundis, humidis, nec perflatum habentibus, congregati, vitam degebant;

degebant ; quibus omnibus nulla quidem aptiora sunt, quæ corporis vires minuant.

Contrà verò notatu dignissimum est, morbum, de quo scribimus, sæpè eos tentavisse, qui nullo genere valetudinis priùs languerant ; quibus ne unum quidem debilitatis signum ante morbi accessionem aderat ; et quibus denique nulla vitæ commoda deerant. Præterea, quàm plurimi causis suprà memoratis debiles fiunt, quos *hæmorrhœa* neutiquam adoritur.

Sin autem simplex debilitas mortales huic morbo opportuniore reddit, unde accidit, morbum pro ratione esse perrarum, cùm causæ quoque excitantes, uti jam memoraturus sum, frequentissimè occurrere putantur ? Unde, multò rariùs esse hoc, quàm alia morbi genera, quibus, ut medici credunt, eadem debilitas corpus proclive reddit, et quibus cum eo eadem causæ excitantes communes sunt ? His animadversis, nos equidem adducimur ut credamus, quandam esse corporis, seu solidarum sive fluidarum partium, conditionem, nobis adhuc

adhuc latentem, quâ homines proclives red-
duntur in *hæmorrhœam*.

Auctores, qui de morbo, quem persequi-
mur, scripserunt, plurimas memoraverunt
causas, quibus identidem concitatus est; vel
plurimas faltem res inter accessionem adfuisse
observârunt, quibus verisimillimum visum est
eum concitatum esse, ubi aliquis in eum pro-
clivis jam factus fuisset. Frigus; nimirum,
corpori admotum, vel potio frigida, sudorem
subitò cohibendo, eundem excitare putata
sunt. Et quædam ex partu difficili adoriri
morbus habitus est. Quinetiam interdum,
utî observârunt medici, subsecutus est affectus
animi vehementes, metum præcipuè, et iram;
itemque nimiam fatigationem, atque crudi-
tates, ex copiâ immodicâ alicujus rei devo-
ratâ, oriundas.

Enimverò an res hujusmodi, necne, *hæ-
morrhœam* reverà excitaverint; an cum aliâ
quâdam causâ, etiamnum medicis ignotâ, ad
eum excitandum conspiraverint, (perinde ut
eædem res cum diætâ quâdam ad *scorbutum*
incitandum

incitandum conspirant), nobis, credo, præ impari adhuc scientiâ, nihil pro certo concludere fas est: præfertim, quum morbus, de quo agimus, sæpe exortus fit, ubi nec una quidem earum rerum, quas memoravimus, neque ulla alia, quæ pro causa haberi potuit, obvia priùs occurrerat, quàm ipse morbus aliquem occupavit.

§ V. DE DIAGNOSI.

Cùm verò proposuerim signa, quibus morbus, de quo scribimus, maximè cognoscatur, ad ea quoque transibo, ut, quibus aliquis ab aliis morbis hunc dignoscere possit, notas indicem. Sola valetudinis genera, quæ *hæmorrhœa* signis simulat, ea sunt quæ *Typhus* et *Scorbutus* nominantur. Quod autem ad *typhum* attinet, illa ab hoc facillimè dignoscenda est, ut inter omnes convenit, si illius signa diligenter respiciantur. Notæ enim, quibus febris imprimis insigniatur, illi semper ab-
sunt;

sunt; præsertim est nulla anxietas febrilis, neque sensorii functiones plurimum, vel omnino quidem, turbantur. Atque his animadversis, nomen primum, scil. "*Petechiarum* sine febre," ei imposuit Dr GRAAF. Medici autem exempla quædam memoraverunt, ubi pulsus arteriarum aliquantulum celeres erant, spiritusque citatior, et fitis modica urgebat: attamen corporis totius conditio, signorum progressus et duratio, morbos inter se diversos esse plus satis indicant. *Hæmorrhœa* quidem, uti supra diximus, menses plures, vel etiam annos aliquando producitur.

Quod verò ad *scorbutum* pertinet, inter medicos haud omnino convenit eum ab *hæmorrhœa* naturâ discrepare. Neque fanè negandum est, utrosque morbos inter se signis aliquantum congruere. Dr ADAIR, ut videtur, *hæmorrhœam* nihil aliud esse quàm mitiorem *scorbuti* gradum existimat. Atque clariss. FOURCROY*, uti ex observationibus quibusdam,

* La Médecine éclairée par les sciences physiques.

dam, de ægri historiâ à D^{re} FERRIS in lucem editâ, memoriæ mandatis, colligimus, semet ejusdem sententiæ fautorem ostendit.

Opinio, quæ D^{ri} ADAIR placuit, hoc argumento (quod quidem verum esse nemo negabit) præcipuè niti videtur; homines, nimirum, vitam terrestrem agentes, *scorbuto* interdum corripì, dummodo cibus, concoctu difficilibus, vel in quibus parum alimenti est, diu vescantur; neque, porrò, hunc *scorbutum* terrestrem signis differre ab eo, qui nautas, æquora navibus pervagantes, adoritur: Et “nullum certè symptoma,” inquit, “in *hæmorrhœa* unquam extitit, quod non sæpiùs in *scorbuto* observatum fuerat.”

Hoc argumentum fortasse, aspectu primo, gravissimum habebitur. Credo, enimverò, vix fieri posse, ut aliquis *hæmorrhœam* et *scorbutum* pro eodem morbi genere habeat, si sequentia ante oculos ponat; signa, nempe, et durationem utriusque, et, quæ ad utrique medendum idonea sunt, medicamenta.

Scorbutum

*Scorbutum** dies aliquot vel hebdomadas nunquam non præcurrunt ingens lassitudo, spirandi difficultas, et musculorum dolor, ei, qui ex nimia fatigatione oritur, similis; vel potius forsan dicendum est, *scorbutum* ita tardo passu inter initia aliquamdiu incedere. *Hæmorrhœa* verò, quanquam eam nonnihil lassitudinis sæpe antecedit, sæpe tamen aliquos subito invadit, ubi nulla adversæ valetudinis signa ante accessionem observata fuerant: neque profectò, vel durante morbo, semper lassitudo urget.

Quinetiam *scorbutus*, antequam diu inveteravit, plurimis stipatur signis, quorum *hæmorrhœa* et maximè inveteratæ alia rarissimè, alia autem nunquam, adsint. Gingivæ semper ferè tument, et spongiosæ fiunt; dentes alveolis vacillant; os foetet; aqua est inter cutem cruribus: sed rarò, credo, cutis *ecchymomatibus* antè livescere observatur, quàm

D

morbus

* BOERHAAVE, Aphorism. 1151, LIND on Scurvy, Part II. chap. 2.

morbis ingravescerit. Quod cum acciderit, ægri vim musculorum amittunt; membra enim torpescunt, haud secus ac resolutione nervorum correpta, atque tendines poplitum duri et contracti fiunt; ulcera fœda, et pessimæ indolis, crura occupant; dolent membra et viscera; anima deficit, aliquandò haud recuperanda, dummodo ægri seu leniter moveantur, seu lenis aura eos attingat.

Licet autem *hæmorrhœa* in menses quosdam aut etiam annos producat, vel in tempus certè multò longius, quàm *scorbutus* unquam cursu implet; signa tamen dira, quæ jam memoravimus, ægros nunquam vexant. Morbus verò signis mitioribus per totum cursum premit, donec æger seu fatis concedat, seu medicamentis, viribusve naturæ *medicatricibus*, perducatur ad sanitatem.

Atqui, porrò, *hæmorrhœa* omnibus medicamentorum generibus aliquando cedere recusat, nec iis quidem sanabilis, (utì animadvertit Dr DUNCAN,) quibus *scorbuto*, haud gradu violentiori, certissimè mederi valeamus.

Quinimò

Quinimò remedia aptissima quæ ægris, hoc morbo laborantibus, salutem restituant; scil. *acidum citricum*, et vegetabilia recentiora; eadem, ut videtur, haudquaquam ad *hæmorrhæam* curandum, nèque sanè ad ei, perindè ut *scorbuto*, præveniendum valent.

§ VI. DE PRÆSAGIIS.

PRÆVISIS omnibus quæ ad signa et causas pertinent, sequitur ut quasdam notas explicem, quæ vel spem vel periculum ostendant. Morbus quidem, ut de eo generatim loquamur, haud valdè periculosus habendus est; ex observationibus enim medicorum discimus, facilem fuisse plerisque eo confectis salutem. In singulis autem exemplis sanguinis profluvia nos maximè metu terrere debent; utpote quæ necem, ubi morbus fatalis fuit, sæpius intulerunt; quæ certè corpus magnoperè debilitant, ideóque morbum ipsum augent; et
quæ

quæ denique, etiamfi æger sanetur, ne in malum tamen habitum corpus decidat, metum faciunt. Scire quoque licet, ægrum esse in meliori vel peiori spe, prout sanguis minori vel majori copiâ, pro ratione virium, profluxerit; atque prout medicamentis, aliquamdiu adhibitis, plus minusve morbus paruerit.

Præterea ferè supervacuum erit dixisse, quòd, quantò minus corporis habitus afficitur, et quantò magis functio quælibet ex morbidâ naturalis fit, tantò magis faustum eventum expectandum fit; et præsertim si pecthiæ simul evanescere observantur, vel si ex lividis aut subnigris, pallidæ aut subfuscæ fiunt.

§ VII. DE MORBI NATURA, SIVE CAUSA PROXIMA.

QUÆ sit natura hæmorrhææ magna et perdifficilis quæstio est; et vix fortasse, aut nullo modo,

modo, nisi conjecturis, eam prosequi possumus. Quocirca quibusdam inutile fore videatur, tempus terere quicquam de eâ differendo; præcipuè quum opiniones majorum, de proximis morborum causis, quamcunque fidem olim sibi vindicavissent, diuturnitate tandem extabuisset videmus.

A re nostrâ omninò alienum foret, de theoriarum, quod ad medicinam, utilitate disputare. Errores quidem, præ inscientiâ quâ verfatur, "humana parùm cavet natura:" ideoque theorias, incrementum semper rerum scientiâ, apertas esse ad reprehendendum et refellendum necesse est. Sed ab erroribus refellendis etiam veritatem discamus; quâ nixi et muniti, viam minùs incertam et occultam tentabimus, nosmet ad naturam investigandam postea accincturi.

Itaque nobis consilium est, theorias, quas medici de hoc morbo proposuerunt, aliquatenùs perpendere; et si, quæ veritati minimè congruant, solùm deprehendere possimus, nos
tamen

tamen partem solido de die nec frustrà dempsisse putemus. Nam

“ Virtus est, vitium fugere; et sapientia prima,

“ Stultitiâ caruisse.”

HOR.

Medici duas præcipuè sententias protulerunt, quibus signorum, *hæmorrhææ* aliisque quibusdam morbis communium, rationem redderent; nempe *petechiarum*, vibicum, proclivitatis ad sanguinis profluvia, et si qua similia. Alii enim signa hæc à fluidarum corporis partium* putredine pendere, alii autem à solidarum† debilitate, contendunt. Indicandum est itaque, quæ maximè ex utraque parte dicantur, quò faciliùs reperire possimus, quæ gravioribus vel levioribus argumentis nitatur: et imprimis pauca dicam de humorum putredine.

Inter

* WITHERS on Asthma, Case 47. FERRIS. AIKIN.

† BROWN, Elem. Med. MILMAN on Scurvy, ADAIR, Diss. Inaug.

Inter mutationes quas humores subire solent, putredinem neutiquam annumerandam esse mihi verisimillimum videtur. Imò, ni fallor, omni ratione concluditur, five ad sanguinis proprietates, five ad putredinis naturam, spectemus, illum, durante vitâ, putredine vitari omninò nequire: atque, porrò, mutationes ipsas, quibus ejusdem putredo insigniri putatur, morbidì corporis conditionis, haudquaquam causas esse, sed effectus.

Omnia argumenta, quibus clariss. PRINGLE quoad *scorbutum* usus est, luculenter refellit Dr MILMAN; quippe qui assumptiones illius falsas esse monstravit. Et notatu quidem dignum est, olera pauca, fructusve, vel limonum succi pauxillum, ad signa illa putredinis fuganda multò majoribus viribus valere, quàm omnia *antiseptica* glorianda, quæ in officinâ suâ *chemicâ* vir illustris deprehenderat.

Dissertationem ingeniosam in lucem protulit* Dr FERRIS, ut opinionem Dris MIL-

MAN

* Diss. Inaug. De Sanguinis per corpus vivum circulantis Putredine. Edin. 1784.

MAN de *scorbuti* febriumque causa improba-
ret, atque ut D^{ris} CULLEN sententiam defen-
deret. Imprimis, humores putridos fieri ex
eo strenuè argumentatur, quòd materia con-
tagiosa, postquam in corpus introducta fuerit,
multùm augetur. Hujus autem rei, ut vide-
tur, rationem magis justam et verisimiliorem
reddere possumus, si materiam à sanguine,
novâ et morbidâ vasorum actione, separari
putemus: quum alia exempla similia actionis
novæ sæpe obveniant; ut, putà, puris secretio,
materiæ *gonorrhææ*, carcinomatis, et si qua
similia: et quum ipsa evidentia huic opinioni
repugnat; nam *variolæ*, e. g. cum sanguinis
portione homini haud inferi possunt*; neque
materia contagiosa, nisi in cutis vasis, ex san-
guine separari observata fuit†.

Deinde, ut probaret, nihil obstare quò mi-
nùs sanguis inter circulandum putredine in-
quinetur,

* Vide Sir G. BAKER on Smallpox, p. 9. DAR-
WIN's Zoonomia, vol. i. § xxxiii. 2. 10.

† Philosoph. Transact. vol. lxx. p. 135. BAILLIE'S
Morbid Anatomy, p. 195.

quinetur, ideóque inquinari verifimile effe :
 “ Quum nervi,” inquit, “ unde et fensus et
 motus derivantur, à cerebro difperfi, fimplicia
 folida fola attingant, nulloque modo cum
 fanguine, nifi quatenus cordis, ac reliquorum
 vaforum, excitatio adjuvatur ope ejus mecha-
 nicâ, vel chemicâ, conjungantur ; fic fieri
 non poteft ipfum fanguinem vis iftius vitalis,
 quæ per nervos ex cerebro propagatur, id eft,
 vitæ animalis, effe participem : ” — “ hinc
 nihil, meâ ex fententiâ, obftat, quo minus ex
 mutationibus, quas extra corpus fubit fanguis,
 ejufdem ipfo in corpore mutationes quodam-
 modo colligamus.”

Cuivis autem hoc modo ratiocinanti, fat
 erit refpondere, quòd ne minimam quidem
 notitiam vis vitalis five nervosæ *à priori* ha-
 bere poffumus, nec minimam profectò adi-
 pifci quimus, nifi effectuum, quos in corporis
 partes five folidas five fluidas eadem edit,
 longinqui temporis obfervatione. Ex acu-
 ratâ verò rerum comparatione, eft, ni fallor,
 quòd colligamus, fanguinem folidis vivis,

E

quòd

quod ad conditionem, arctissimè conjunctum esse, sic ut, si hoc modo illove hæc mutantur, ille quoque eodem ferè modo simul mutabitur : ex quo intelligi debet, utrorumque conditionem et proprietates eâdem de causâ, nimirum de vi vitali seu nervosâ, pendere.

Sanguinem eandem cum solidis vim vitalem participare, credidit ARISTOTEL^{ES}*, et proposuit etiam HARVEY† noster celeberrimus ; argumentis autem plurimis, ex doctâ indagatione et comparatione illatis, opinionem hanc nuper defendit præclarus JOANNES HUNTER‡. Multi autem *physiologiæ* studiosi opinionem subvertere conati sunt : sed, me judice, eam nec subverterunt nec etiam infirmârunt. Nonnulli enim, argumentis non solum à philosophiâ abhorrentibus, sed ineptis equidem, freti, controversiam moverunt ;

quippe

* Hist. Anim. lib. iii. cap. 19.

† Exercitat. Anatom. 51.

‡ Treatise on the Blood, &c.

quippe qui quæstionem cogitatione et à *priori** solvere voluerunt, cùm à certis potiùs et exploratis, id est, ab his quæ experientia et observatio docuerint, petenda esset solutio. Alii autem initio vitam verbis definiverunt, five hypothefin de naturâ ejus animo conceperunt, et deinde, hanc veram et certam rati, vitam sanguini ineffe negârunt; quia nempè hypothefi suæ sanguinis natura haud congruit†. Possunt verò nihil omninò probare, quorum disputationis fundamentum mera conjectura est; etenim, uti admonet CICERO, “ nulla conclusio est, assumptione non concessâ.”

Quæ sit vitæ natura omninò certè ignoratur, et forsan semper ignorabitur. Nostrium est solummodo omnia, quæ animantibus, vel solidis corporum partibus, vel fluidis, obveniant,

* JOHN BELL. Anatomy, vol. ii. p. 83.

† BLUMENBACH, de vi vitali sanguinis. THELWALL'S essay towards a definition of animal vitality, &c.

niant, et quâ ordine, curiosè et diligenter observare; atque, si plurima inter se congruentia utrisque partibus, eodem ferè modo eodemque tempore, contingere videamus, non possumus adduci, ut, aliâ vi alteram partem, alteram verò aliâ impulsam, credamus: sed utrasque vis vitalis ejusdem compotes et participes potiùs concludere debemus. Ex similitudine enim effectuum, similibus causis admotis, naturam similem esse colligere fas est.

Tempus et angustæ fines de hac re orationem dilatare vetant; paucas autem similitudines animus est indicare. Cel. J. HUNTER notavit, causas easdem, quibus solidarum partium *irritabilitas* sæpe afficitur, fluidarum quoque coagulandi vim eodem ferè modo simul afficere. Nonnulla, nimirum, quæ vires eas minuunt abolentve, quibus fibræ musculares, stimulis admotis, sese contrahunt, et quæ has teneras et relaxatas, et nigras reddunt; vim, quâ sanguis sese coagulat, simul minuunt abolentve, atque eum vel parùm coactum,
vel

vel omninò fluidum, nigrumque relinquunt. Hæc sunt nonnulla, quibus vita subito abruptitur, nempe fulmen ictusve *electricus*, acerbi animi affectus, nifus muscutorum violentes, et ictus super regionem ventriculi *; item *gas acidum carbonicum* respiratio †, viperæ morfus ‡, et si qua similia. Calor quoque et solida et sanguinem eodem modo afficit; causa est ut sanguis illico coëat, musculique sese contrahant.

Ad hæc, clar. VAN SWIETEN || observavit, sanguinem eorum, qui robusti et validi sunt, multò magis firmiter se coagulare, quàm eorum, quibus vires in corpore languent. Atque cel. HALLER, “in tenera virgine,” inquit, “in hominibus pulmonem debilem nactis,

* HUNTER on the Blood, &c. p. 1. chap. 1.

† LUZURIAGA, Diff. Inaug. de syst. sanguin. et nerv. nexu, p. 28.

‡ FONTANA on Poison.

|| Comment. sect. 588.—1010.

nactis, delicatum sanguinis coagulum est; rubrum tamen, sed minus cohærens, fluidoque humori propius*.” Neque porrò omittendum est, majorem adhuc similitudinem esse inter sanguinis et fibrarum muscularium conditionem, et vim contrahendi. In iis enim morborum generibus, ubi fibræ arteriarum tardiùs pro ratione, sed fortiter, sese contrahunt; ut, e. g. in *Pneumoniâ*; sanguis eodem tempore, è venâ missus, tardiùs coagulatur, sed firmitus sit coagulum, et superficies ejus in cavum, poculum referentem, contrahitur: (quod sanè signum est inflammationis multò certius, quàm sola coriacea quasi superficies). Contrà verò quorum fibræ arteriales celeriter, at imbecilliter tamen, micant, perinde ut *phthisi* laborantium†; eorum quidem sanguis, si quis missus fuerit, celeriter coagulatur, sed coagulum imbecilliter, aut vix cohæret.

Eadem

* *Elementa Physiologiæ*, vol. ii. p. 318.

† *HEWSON on the Blood.*

Eadem quoque similitudo observari potest, ubi animalia, usque dum moriantur, sanguinem amittunt : ea enim pars sanguinis, quæ primò è venis erumpit, tardissimè sed validissimè sese coagulat ; ea autem quæ, viribus magis magisque deficientibus, postea effluit, celerius, at imbecilius verò, in coagulum coit*.

Cel. FOURCROY easdem similitudines animadvertit, idemque ex iis perpenfis concludit ; sanguinem, scil. ope vis vitalis coagulari. “ Le sang suit les phases,” inquit, “ de l’organe musculaire ; pâle et très-fluide dans le fœtus et dans l’enfant, il ne présente qu’une gelée tremblante et mollassé dans sa concretion ; tandis-que celui de l’adulte, riche en couleur et en consistance, se prend presque tout en masse solide. Lorsque la fluide a ce dernier caractère, les muscles ont acquis tout leur volume et toute leur force †.”

Præterea

* HEWSON on the Blood.

† Mémoires de la Soc. Roy. de Médecine, pour 1783.

Prætereà notatu dignum est, sanguinis gluten, five *fibrinam*, adeò fibras musculares, quantum vel conspectu vel periclitatione *chemicâ* detegi potest, simulare, ut, si ulla fides FOURCROY, vix aut ne vix quidem à se invicem dignosci possint. “ En effet,” inquit, “ lorsqu’on a enlevé par des moyens appropriés la lymphe colorée, la gelée, les substances extractive et saline, qui sont contenues dans le tissu spongieux des muscles, leur chair n’offre plus que la matière glutineuse pure, comme je m’en suis convaincu par l’expérience *.”

Ad summam colligendum est, ea, quæcunque sint, quibus vires fibrarum muscularium vitales afficiantur, eadem vim illam, quæ sanguini est, sese coagulandi, pariter afficere. Auctâ enim, imminutâ, extinctâve musculorum *irritabilitate*, hæc sanguinis vis augetur, imminuitur, extinguatur. An igitur has vires diversis pendere causis inferendum sit? An
alteras

* FOURCROY, Mém. de la Soc. Roy. de Méd. 1783.

alteras scil. vitales, alteras autem *chemicas*, concludendum? Quomodo autem fieri possit, acerbum animi affectum, indolem totius sanguinis *chemicam*, vel citiùs dicto, mutare posse; aut quomodo ullam corporis partem, nisi per vim *nervosam*, afficere queat?

Credo equidem, dummodo præjudicatis de vitæ naturâ superfedeamus, (nempe, qui eandem solidis tantùm conjungi posse credimus), deinde nec unum quidem argumentum nos adducturos esse, quo sanguinem vitâ expertem probemus. Quâ ratione enim probare possumus, vel nervos vel membranas, vel alias partes, quæ, stimulis admotis, non moveantur, parem cum his, quæ moventur, vitam participare; quâ freti, sanguinem quoque ejusdem compotem et participem evincere nequeamus? Partes eas solidas, quæ neque stimulis neque voluntati parent, vitâ præditas ex eo maximè credimus, quòd putredinis causis resistunt. Quin sanguis quoque iisdem naturaliter resistat, nemo dubitat. Sanguis autem, uti animadvertit clar. G. FORDYCE,

“ is in that situation in which putrefaction most readily takes place: it takes place most readily at the temperature of 100° , more slowly at 110° , hardly in animal substances at 150° : more slowly in less degrees of heat than 100° , and scarcely at all at 40° of FAHRENHEIT*.” Itaque et solida et sanguinem semper putrescere necesse esset, nisi vis quædam contraria illa defenderet. Vim autem vitalem solida conservare inter omnes convenit; cur igitur non conservare quoque sanguinem?

His animadversis, sanguinem eâdem, ac solida, vitâ esse præditam, veri saltem simillimum arbitramur; ut gangræna igitur sive sphacelus musculorum, sic putredo sanguinis, mortem indicat.

Sed ut sententiam eorum, qui, sanguinem in vivo corpore et inter circulandum putrescere posse, putant, veritati absconam esse porrò probemus, restat ut quædam phenomena

* Third Dissertation on Fever, Part I. p. 74.

mena exploremus, quæ, progrediente putredine, obveniunt; quæ fanè vitæ animali omninò repugnare reperiemus.

“ Princeps verò phenomenon,” inquit HALLER *, “ putredinis neque hætenus adultæ, est expedire aërem.” Aër autem, cujuscunque generis, si sanguini circumfluo misceatur, necem nunquam non citò infert. Hoc quidem medicis, annos centum quinquaginta et plures, clarè innotuit, ut præclarus MORGAGNI † nos certiores fecit, et experimentis WEPFERI, CAMERARII, REDI, aliorumque, et præcipuè ingeniosi LUZURIAGA, luculenter probatum est.

Præterea, experimenta quoque nos docuerunt, non aërem solùm, sed etiam ipsius sanguinis aut feri, putredine vitati, particulas, sanguini circumfluo mistas, vitam confestim adimere. Quo argumento solùm freti, litem, me judice, dirimere possumus. In venas canum

* Elementa Physiologiæ, vol. ii.

† De sed. et caus. Morborum, Epist. v. Art. 21.

num quatuor *femorales*, feri putridi pauxillum injecit Dr SEYBERT*. Illicò debiles et languidi canes evaserunt, sævis doloribus angipparuerunt, et, nondum peractâ injectione, nervorum distentionibus correpti sunt; atque intra horas duas omnes morti occubuerunt. Clar. FOURCROY† experimenta hisce similia instituit, similesque effectus observavit, ex quibus hanc conclusionem intulit. “ Il paroît prouvé,” inquit, “ par ces faits, que les liqueurs en pleine putréfaction sont des poisons terribles pour les animaux, lorsqu’elles sont mêlées au sang qui circule dans leurs vaisseaux.”

Omnibus denique, quæ suprà disputavimus, cognitis et perpenfis, sanguinem circumfluum putredine nunquam vitari, nec, persistente vitâ, vitari posse, concludere fas est. Quæ etenim putrescunt, ea priùs mortua fuerint, neceffe

* Inaugural dissertation on the Putrefaction of the Blood. Philadelphia, 1793.

† Mémoires de la Soc. Roy. de Méd. 1783, p. 498.

neceſſe eſt; ſanguinis autem ipſius particula, mortua et putrefacta, quòd ad corpus vivum, lethale venenum eſt. Sequitur itaque ut aliam cauſam requiramus, quæ ſigna *hæmorrhææ* gignere poſſit.

Alii quidam medici, ut ſuprà diximus, morbum à mutatâ ſanguinis conditione provenire, negant; ſed ſigna, de quibus agitur, ex fibrarum muſcularium debilitate, et immutato tono, oriri contendunt*.

Pauca habeo, quæ huic opinioni objiciam: et fortasſe his medicis re concinere, verbis tantùm diſcrepare, videar. Etenim hoc morbi genus ſæpius debilitate comitari, ſæpiusque eos, quos plurimæ debilitatis cauſæ premunt, aggredi, lubenter concedo. Maximè autem adducor, ut debilitatem illam potiùs effectum eſſe vel ſignum, cum aliis ſignis ex quapiam corporis conditione morbidâ ſimul oriundum, quàm ipſam ſignorum cauſam, credam;

* ADAIR, Diſſ. Inaug. ZETTERSTROEM.

credam ; atque porrò diversarum conditionum effectum esse et fodalem.

Debilitatem in variis exemplis naturâ variam esse, etiam à theoriâ illorum medicorum colligendum est *. Morbi enim, qui, perinde ut *hæmorrhæa*, debilitate provenire dicuntur, non gradu solùm, sed etiam signorum genere, quàm maximè inter se discrepant. Quis enim vult affirmare febrem contagiosam solummodo gradum esse, seu majorem, sive minorem, *scorbuti*? Et progressu quidem, et signis, illa ab hoc quàm maximè differt; atque diversis omninò causis uterque imminuitur et intenditur, et diversis denique curatur remediis. Ex hypothesi autem, eâdem sunt naturâ : sunt tamen diversâ ; quod absurdum est.

Qui igitur morbum imminuto fibrarum tono provenire dicunt, non modò non verè et accuratè loquuntur, sed adeò generatim, ut nihil utile ab eâ notione colligere possimus. Ut motus enim, jussu voluntatis, multis animalium,

* MILMAN on Scurvy and Putrid Fevers.

malium, sic debilitas multis morborum generibus, communis est. Parùm autem de illorum naturâ dicturi sunt, qui motum aliorum pedibus, aliorum alis, aliorum autem pinnis effici, haud animadverterint: nec magis, credo, de morborum naturâ dicturi, qui debilitatem diversis corporis conditionibus provenire ignoraverint.

Namque si nobiscum reputemus, de quo vel integritas virium vel debilitas pendeat, facilè intelligetur, varias causas hanc gignere posse, vel, aliis verbis, hanc varias fibrarum conditiones comitari. Imo, Cui *solida simplicia* haud integra sint, eum virium integritate neutiquam frui necesse est: ab hâc forsan causâ debiles fiunt, qui ex febribus aliisve morbis acutis convalescunt. Hisce enim casibus muscoli magnitudine minuuntur, et difficillimè corpus movent sustinentve; neque membrorum motus validi fiunt, donec, cibis nutrientibus per plures dies assumptis, fibræ musculorum aliquatenus renovatæ fuerint.

2do, Corpus, ob quasdam *solidi vivi* conditiones morbidas, debile et invalidum efficitur: quales autem hæ conditiones sint, vel quomodo nascantur, ignoramus. Debilitas hujusmodi notabilis febricitantibus contingit, quæ quidem adeò peculiaris est, ut medici nuper eam *virium depressionem*, discernendi causâ, nominaverunt. Debilitas quoque eum corporis statum comitatur, qui ad *hysteriam* et *epilepsiam* opportunus est; ubi fibræ vivæ ad motus insolitos stimulis facilè cientur. Comitatur etiam *asphyxiam*, ubi contrâ fibræ ad motum difficilè incitantur, ob *oxygenium* nimis parcè comparatum, spiritu quodammodo impedito, seu aquâ submersione, sive strangulatione, sive *gasibus azoticis* inspiratis. Sequitur denique nimiam fatigationem.

Aliis autem hujusmodi exemplis, aliam proximam debilitatis causam esse, dubitare non possumus; alia enim signa eam comitantur, et hæc variis medentur remediis. At remedia tamen omnia stimulantia appellantur, et solidum vivum *stimulare* dicuntur; quod fortasse

fortasse nil nisi *in eum agere* sonat; agere enim alia aliis modis, omni ratione, ut opinor, concludendum est.

Non possum igitur quin putem, debilitatem haudquaquam causam proximam esse *hæmorrhææ*. Sed hoc, credo, neque amplius etiamnum dicere possumus, hunc morbum eos sæpe aggredi, qui virium integritate minimè fruebantur; atque porrò debilitatem eum, inter alia signa, sæpius comitari, observatum esse. Sed reverà de hâc re et inutiliter et ambiguè disputabimus, dum verbo tam indefinito (*debilitate* scil.) utimur. Clarè enim constat, medicos omnem corporis partem debilitari dixisse, quæ ad suis muneribus fungendum haud idonea evasit. Hoc autem non est theoriam proponere, sed rem tantùm affirmare.

Enimvero vix fieri potest, *scorbutum* (nam sub hoc nomine Dr ADAIR etiam *hæmorrhæam* persequitur) ex vi vitali solidorum imminutâ, præ nutrientium defectu, oriri; remedia enim, quæ ad vigorem corporis restituendum maximè valent, parùm apta sunt,

quæ *scorbutum* ægro corpore depellant : contrà autem remedia, quæ ad corpus roborandum minimè utilia sunt, præcipuè *acidum citricum*, hoc morbo ægrotis citò, tutò, et jucundè medentur. Hoc fanè, quanquam, proh ! modestiam ! omninò negat Dr BROWN *, et parùm credere videntur Dres MILMAN et ADAIR, utpote quod theoriis suis prorsùs repugnat ; mihi tamen persuasum est auctoritate Drum LIND, DON. MONRO, BLANE, TROTTER †, aliorumque, qui *acidi* hujus et vegetabilium utilitatem longinqui temporis usu et periclitatione didicerunt.

Erroribus his, ut spero, convictis, haudquaquam de hypothesi Dris ADAIR fusiùs scribendum puto ; quum præsertim suprà probare conati sumus, magnam inter *scorbutum* et *hæmorrhœam* esse discrepantiam, quoad signa, et progressum, et medendi rationem.

Dr

* Elements of Medicine, vol. ii. DLXXX.

† Vide illor. medicor. opera, de Scorbuto.

Dr GARNET * aliam de *hæmorrhææ* naturâ hypothefin ex eo propofuit, quòd eâ laborantibus globulorum fanguinis rubrorum penuriam effe obfervavit. Namque putat globulos rubros ex ferro à maximâ parte vel omninò conftare, ferrumque viribus animalium gigni: ideóque concluditur, proximam *hæmorrhææ* caufam, defectionem effe virium in iis corporis partibus, quæ ferrum gignere folent.

Hæc verò, quæ affumpfit Dr GARNET, non modò non conceduntur, fed profectò experimentis maximè repugnant. Ferrum enim *oxydatum* aquâ diffolvere nequimus; facile autem diffolubiles funt rubri globuli fanguinis: neque, auctore FOURCROY, ferrum, ficcato fanguine, nifi in cinerem quoque reducto, magnetis ope detegendum eft. Itaque in conditione falis effe necesse eft; fed nec aquâ, quâ gallæ infufæ fuerunt, nec *pruffiate potaffæ*, detegi poteft. Atque porrò ex obfervationibus

* Memoirs of the Med. Soc. vol. iv. Art. xvii.

fervationibus experimentisque D^{is} WELLS, in Act. Philosoph. Londin. recensitis, colorem sanguinis de ferro minimè pendere verissimilimum saltem videtur. Quinetiam ferrum à peritissimis *chemiæ* studiosis pro elemento etiamnum habetur; licèt enim haud abfimile sit, uti nonnulli conjectârunt, eundem partibus simplicioribus constare, atque viribus et animalium et stirpium quoque formari; nemo tamen hanc notionem periculis probavit.

Prætereà, huic hypothefi innixi, signorum *hæmorrhææ* rationem reddere nequimus. Quomodo enim ex rubrorum globulorum penuriâ oriri possunt, aut sanguinis sub cuticulâ effusiones, aut ab iis partibus, quibus tegumenta tenuia sunt, profluvia, vel denique virium debilitas? Nescio an aliquid est ex quo intelligi debet, globulos sanguinis rubros, vel solidi simplicis, nutriendo, vel solidi vivi, stimulando, præcipuè vigorem sustinere.

Postquam de sententiis medicorum, quæ ad naturam morbi *petechialis* spectant, fusiùs et uberius, refellendi causâ, disputationem dilatavi;

latavi; ideóque qualem non esse, ut spero, indicavi; fortasse majori cum prudentiâ agerem, si, qualem esse, me prorsus nescire confiterer. Et hoc quidem lubentiùs faciam, ne verba mordacia TRISTRAM SHANDY etiam in me conjicerentur: "Sufficeth it at present to say, my father levelled the hypotheses with the ground, and in doing that, the learned know, he built up and established his own." Illud autem nec me fecisse omninò dicere audeo, neque hoc, nisi argumentis fretus, facere vellem. Atqui, equidem credo, naturam *hæmorrhææ*, haud secùs ac *diabetæ*, *epilepsiæ*, et, si qua, similibus, frustrà expungere conabimur, donec majorem de machinâ animali notitiam adepti fuerimus.

Quod ad morbum attinet, quem persequimur, sanguinem in nonnullis exemplis aliquomodo mutari satis compertum habemus, nempe, tenuiorem et aquosum fieri, et minùs coloratum. Quocirca Dr DUNCAN* eum ex morbidâ

* Prælectiones Clinic. Maio 1800.

morbida humorum, et præcipue glutinis, conditione pendere, solida autem mutuo à fanitate deflecti, opinatur. Atque verisimillimum quidem videtur, et solida et fluida, corpore hoc morbo languente, affici. Attamen an hæc illave primò afficiantur, ut in aliis quibusdam morbis, difficilè deprehensum est. Ipse verò, confiteor, potius adducor ut, quandam solidorum partem prius affici, credam; illam nimirum, quæcunque sit, quæ cibi *assimilationem*, ventriculo et intestinis inceptam, perficit. Nam actione quâdam vasorum, *chylus* in sanguinem, qui deficere videtur, vertitur; et remedia, quibus curatur morbus, in solida tantum agere videntur. Hoc verò dicere, rei nostræ non multum lucis affundit. Adhuc enim explicare nequimus, cur, deficiente glutine, vasorum extremitates debiles fiunt, dum muscoli, quotquot voluntatis jussa exequi solent, aliquando integri manent. Scire autem licet, vasa musculosque aliis morbis haud simul afficiuntur: quos *apoplexia* enim corripuit, eorum cordis et vasorum motus

tus adhuc perficiuntur; dum muscoli, qui voluntati parere solebant, omninò immobiles fiunt. Nec minùs difficile est dictu, cur arteriæ capillacæ, dum adeò debiles sunt, ut sanguinem rubrum ex ruptis aut dilatatis finibus effluere finant, partem tamen sanguinis aquosiores retineant, sic ut hydrops haud simul nascatur.

Hæc itaque reverà obvenire tantùm dicere possumus; atque ut medici periti idonea reperiant remedia, fat erit forsan hæc memoriâ retinuisse: morbum nempe sæpiùs mortales debiles adoriri, et debilitatis signis sæpiùs comitari, sed proclivitatem ad sanguinis profluvia ab omnibus vasis extremis eundem præcipuè constituere, atque periculum capitis ægris nonnunquam inferre; dum nulla simul adest *pyrexia*, neque vis vasorum, nec sanguinis impetus augetur.

§ VIII.

§ VIII. DE MEDENDI RATIONE.

HAUD multum verò interest, an *hæmorrhææ* naturam, necne, funditus deprehendere possimus. Medici enim, quanquam de eâdem atque de actione remediorum inter se quàm maximè discrepant; omnes tamen eadem medicamenta adhibuerunt, quippe quæ periclitatio et usus ad similes morbos curandos efficacissima esse docuerunt. Nam verissimè dixit Romanorum Medicorum* princeps, “ nihil istas cogitationes ad medicinam pertinere, eo quoque disci, quòd, qui diversa de his senserint, ad eandem tamen sanitatem homines perduxerint. Id enim fecisse, quia non ab obscuris causis, neque à naturalibus actionibus, quæ apud eos diversæ erant; sed ab experimentis: prout cuique responderant, medendi vias traxerint.” Hanc igitur disputationis partem paucis absolvere potero.

Similitudo

* CELSUS de Medicina, Præf.

Similitudo *hæmorrhææ* cum aliis quibusdam morbis, primùm medicos adduxit, ut medicamentis, quibus plerumque curatur, uterentur: remedia enim, quæ vicinis malis sæpe succurrerant, aliis scil. *hæmorrhagiis* et *cachexiis*, hæmorrhœâ laborantibus feliciter adhibita sunt. Hæc sunt *acida mineralia*, cortex *cinchonæ*, et quædam alia ex iis quæ corpus roborant et astringunt.

Acidum sulphuricum, quantum colligere potui, efficacissimum est; et aliquando ægris, nullo alio remedio simul assumpto, salutem restituit. *Acidum nitricum* quoque *hæmorrhææ* aliquando succurrit; cujus exemplum in dissertatione *, coram Societate Regiâ Medicâ Edinenfi, duobus abhinc annis lectâ, narratum fuit.

Cortex *Peruvianus* sæpiùs adhibitus est: verùm in nonnullis exemplis, ubi hoc medicamentum ad morbum depellendum minimè

H

valuerat,

* Mr ROBERTON on the Nitrous Acid. Records, 1799—1800.

valuerat, cortex *Angusturæ* fausto eventu præscripsit Dr WILLAN*. Ex iis quæ corpus astringunt, alumen, gummi *kino*, et alia similia, ægris adhibita sunt. Atque unus ex amicis me certiore fecit, *oleum terebinthinæ*, dosi gutt. xv. assumptum, in nonnullis casibus profluvia sanguinis cohibuisse. Dr GARNET, propter sententiam suam de globulorum rubrorum sanguinis ferreorum penuriâ, *vinum ferri* ægro cuidam adhibuit; sed sanguinis et colorem, uti putavit, et profluvia, simul medicamentum auxit.

Hæmorrhæa autem pauperes sæpiùs aggreditur; ideóque à diætâ parcâ et concoctu difficili, ab insalubribus tabernis, et aëre impuro, oriri putatum est. Quocirca diæta plenior et lautior, aër purus, et exercitatio, medicis præscripta sunt, et sæpissimè quidem ægros in sanitatem perduxerunt. “Immo forsan,” inquit Dr ADAIR †, “hoc in morbo curando,

* BRANDE on *Angustura Bark*.

† Diff. Inaug. p. 19.

curando, ut in *scorbuto*, et multis aliis, qui pauperes infestant, ars coquinaria longè medicamentariæ præstat." Cibus igitur ex animalibus et vegetabilibus quæ facilè concoquantur, præcipiendus est, juscula, scil. lac, et fructus, et his similia.

Neutiquam verò omittendum est, artem coquinariam, et cibum lautum, causis etiam evidentioribus simul absentibus, aliquando *hæmorrhææ* prævenire non potuisse, neque ad medendum valuisse. Aliquos enim quibus nulla vitæ commoda deficiebant, adorta est, atque etiam, dum cibus lautioribus ægri liberaliter suppeditati erant, continuabat tamen, et necem tandem intulit. Vinum quoque *hæmorrhææ* languentibus sæpe adhibitum est, atque felici dicitur eventu. Sed Prof. noster Dr RUTHERFORD me certiore fecit, omnia, ex his quæ calefaciunt, ægris nonnullis ab eo curatis nociva fuisse; profluvia enim sanguinis adauxisse.

Remedia porrò, quæ, vasa astringendo, *hæmorrhagias* cohibeant, et stimulando, faciant ut

ut effusi humores absorbeantur, externis partibus adhibere oportet. Gargarismata alumine, *acido sulphurico*, seu cortice *Peruviano*, confecta, ad stomacacem utilia sunt: juvabit quoque externam cutem, ope spongiæ frustuli, aquâ cum aceto, vel *tincturâ* myrrhæ, lavare, ubi vibices et *ecchymomata* sunt.

Hæc omnia sunt remedia, quòd sciam, quæ ad *hæmorrhœam* curandam adhuc usurpati sunt medici; neque fanè nova alia ex cogitatione suggerere possumus, quum quæ sit causa proxima morbi ignoramus. Sed optandum est, ut remedia quàm paucissima simul adhibeantur, quò tandem quæ majori vi, quæ minori, ad eam curandam pollent, discamus.

ADDITA-

 ADDITAMENTUM.

POSTQUAM hanc disputationem ad umbilicum perduxeram, occasio mihi contigit videndi libellum, quem, de morbis Londini grassantibus, scripsit Dr WILLAN*: et in quo, pauca de morbo *petechiali*, sub nomine *Purpuræ*, disseruit. Duas species seu varietates esse morbi putat, quas *simplicem* et *hæmorrhagicam* cognominavit. Illa mulieres et pueros, cibo tenui vescentes, sedentarios, aggreditur; *petechiis* solum stipatur; et diætâ pleniore, cum exercitatione, facile curatur. Hæc autem magis violenta est; signa gravia, nausea, scil. vomitus, membrorum dolores, eam antecurrunt; *petechiæ* majores et vices cutem maculant; et sanguis sæpe prorumpit. Diætâ parca et tenuis, vita sedentaria,

* Reports on the Diseases in London, 12mo. 1801.

taria, vigilia, anxietas, hanc quoque, uti putat, concitant. At pueros tamen *Londinenses* inquit, sæpissimè adoritur, qui omnibus vitæ commodis fruuntur, et simul utuntur exercitatione : iis autem vita rustica citò medetur. Ad hanc morbi formam, diætam generosam præcipit, vinum, *cinchonam*, *acida*, exercitationem sub Jove puro, et quicquid curas pellat.

Sed, quantum mihi judicare fas sit, duos tantum gradus morbi, et neutiquam species duas, tractavit Dr WILLAN. Credo enim signa utriusque aliquando simul apparere, et nullos esse terminos, ubi unum finire, et alterum incipere, observatum est. Sed reverà parcam meam morbi notitiam, ab auctoribus præcipuè collectam, cum experientiâ propriâ Dr^{is} WILLAN comparare nolo. Contrà verò hanc opinionem non veri abfimilem esse lubentiùs concedere adducerer, quum Prof. noster Dr RUTHERFORD, ex propriâ *hæmorrhææ* observatione, eandem quoque notionem animo conceperat. Verùm, postquam pars maxima
hujus

hujus disputationis etiam prelo subjecta fuit, alterum morbi *petechialis* exemplum mihi obvium occurrit; quo nonnulla signa, ni fallor, utrique speciei à D^{re} WILLAN delineatæ propria, simul ægrum vexant. Pauper, nimirum, sexaginta annos natus, Valetudinario *Edinensi* decumbit; de magnâ debilitate, et sævis membrorum doloribus conqueritur; atque *petechiæ* plurimæ majores, five *ecchymomata* parva, cutem crurum internorum maculant; gingivæque aliquatenus spongiosæ apparent: attamen nulla sanguinis profluvia sunt. Pulsus arteriarum quinquaginta numerantur. Viscera omnibus muneribus ritè et naturaliter funguntur. Hebdomadas ferè tres jam morbo laboravit æger; atque *acidum sulphuricum*, à D^{re} GREGORY adhibitum, dies sex assumpsit, dum victu pleno, cum libris duabus cerevisiæ indies, simul usus est; nec sine malorum levamine. Virium enim integritas jam aliquo modo restituitur; crurum dolores minùs sævi urgent; et *petechiæ*, aliæ evanesce-
runt, aliæ autem pallidiores factæ sunt.

Quinetiam

Quinetiam morbum, de quo agitur, veri *scorbuti* formam esse hic auctor opinatur; et magnam auctorum copiam citat, qui *scorbuti* exemplis eundem annumeravisse videntur; ideoque morbum minimè novum esse asserit. Quum verò nulla argumenta, quibus opinionem probaret, adduxit; contrà autem, causas hujus morbi et remedia recensuit, quæ sanè ab iis, quibus *scorbutus* concitatur et sanatur, admodum discrepant; haudquaquam adducor ut sententiam, quam suprà proposui, mutem. Sed reverà, quum de re omninò concinamus, de nomine disputare, nihil esset nisi de lanâ caprinâ rixari.

Dr WILLAN autem asseruit, auctores numerosos, quos citavit, adedò affatim de *purpurâ* differuisse, ut nihil ferè addendum restat. Omnes autem, quotquot legi, *purpuram* pro febris genere habebant, HOFFMANN, scil. SAUVAGES, BURSERIUS, STRACK, aliique; nec nisi obiter *petechias* sine febre tractârunt. Quod ad *purpuram scorbuticam* Dr^{is} HOFF-

MANN

HOFFMANN * attinet, hanc fanè auctor iste satis obscure profecutus est, et alios morbos unà confudit; atque porrò eandem à *petechiis* vult dignoscere. Itaque Dⁿⁱ AIKIN † etiamnum assentior, et hunc morbum attentione medicorum dignum esse puto, “because I do not find in any of the systems of nosologists, that clear and discriminating notice taken of it, which a disease so marked, and occasionally so formidable in its aspect, would seem to require.”

Clariss. SAUVAGES, ut videtur, morbum, de quo scripsimus, sub titulo *Phænigmi Petechiali* designare voluit; et citat D^{rem} CUSSON, qui eundem *purpuram apyretam* antea nominaverat: hujus autem opera nunquam vidi; nec aliorum quorundam medicorum, quos Dr WILLAN citavit.

* HOFFMANN opera, tom. iv.

† Memoirs of the Med. Soc. vol. iii. p. 397.





Some tight gutters.

